



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

Viro Syperillvstri Petro Segviero Galliarvm Cancellario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591



VIRO SVPERILLVSTRI
PETRO SEGVIERIO
GALLIARVM CANCELLARIO.

PROVIDENTIA Dei fa-
ctum arbitror, ILLVSTRISSI-
ME DOMINE, ut edendorum
librorum de concordia sacerdo-
tij & imperij, à viro pacis aman-
tissimo compositorum, captum
consilium fuerit eodem ferme tem-
pore quo dissociata est concordia Summi Pontificis &
Regis Christianissimi, quæ nuper interrupta fuit
fato concordiae raro sempiternæ. Arduum enim est
eodem loco potentiam & concordiam esse. Qua-
propter bene cum rebus humanis agitur, quoties
a ij

E P I S T O L A.

mortalium aliquis ita compositus & temperatus invenitur ut pacem quam bellum malit, & rationem inire non recusat retinenda concordiae inter Principes; procul à turbulentis veterum Britannorum moribus, qui pacis incommoda differentes, æquè discordiam præpositorum, æquè concordiam subiectis exitiosam esse aiebant. Immensum à seditiosa illa persuasione abfuit interpres hic pacis & concordiae, cuius dissertationes de concordia sacerdotij & imperij sub felicibus tui nominis auspiciis in lucem nunc emittuntur, **VIR ILLVSTRISSIME.** Hic enim cùm intelligeret breve esse confinium pacis & belli, ac vitari vix posse quin sacerdotij & imperij concordia interdum dissolvatur, arctissimis licet vinculis adstricta, ex eaque discordia necessario oriri perniciem cum magna reipublicæ calamitate conjunctam, omne studium omnemque industriam suam in id convertit ut modum commonestraret quo res ad concordiam adducerentur, si cœco casu & volubilitate fortunæ regnum & sacerdotium inter se committerentur; vel si statim revocari concordia non posset, rempublicam summa dignitate defendere liceret, ac tamen interim debita sedi apostolice reverentia non omitteretur. In quo argumento adeo feliciter versatus est ut facile deinceps futurum sit occurrere discordiis, habiturisque sit orbis Christianus remedia ante malorum experimentum. Cùm autem decrevis-

EPISTOLA.

sem in publicum emittere hos libros , secundum quod ipse supremis sermonibus mandaverat , investigaremque sub quibus auspiciis eos prodire jubarem , tu in primis occurristi , **VIR SVMME** , pluribus de causis , ac inter alias , quod illustissimum Archiepiscopum Parisensem , eorum auctorem , summa semper benevolentia prosecutus sis viventem , memoriāmque extinti sanctissime conserves . Sane non institui heic laudare pietatem tuam , **CANCELLARIE ILLVSTRISSIME** , ac singularem tuam reverentiam in sedem apostolicam , obsequium in Principem , aut fidem in rempublicam : quae omnia in te adeo clara & illustria sunt ut prorsus inutile futurum sit si his diutiis immorer , aut encomium tuum heic enarrare contendam . Illud tantum dicam , nemini potius dedicari posse hos libros quam viro barum rerum peritissimo , & cui ingenium sit natum ad alendam concordiam sacerdotij & imperij , atque adeo tibi eo quoque nomine in primis deberi . Neminem enim arbitror adeo peregrinum esse in historia nostri temporis ut nesciat magnam à te curam semper adhibitam ne quid de sacrorum religione minueretur , constantemque omnino fuisse adversus eorum audaciam qui Romani Pontificis auctoritatem deprimere tentarunt in variis occasionibus . Idem tamen Libertatis Ecclesiae Gallicanæ , ut decebat summum Galliarum Cancellarium , propugnatorem acerimum te semper præstitisti , mirabili temperamen-

EPISTOLA.

to inter invictam contradicendi libidinem & proje-
ctam adulationem , adeo ut quidam LIBERTATIS
SACERDOS dici possis. Accipe igitur , VIR A M-
PLISSIME , munus hoc meum ea qua soles benevo-
lentia ; meque ingentium tuarum virtutum venerato-
rem cultoremque esse patere , qui nemini mortalium
concedo in ea obsequij gloria.

Lutetiae Parisiorum , Kalendis Iunij ,
anno MDCLXIII.

STEPH. BALVZIVS.